

84 Dices: Concilium Trident. sess. 25. de reform. cap. 20. ait, Ecclesie, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione, & Canonis sanctionibus constitutam esse. Resp. Concilium loqui de immunitate Ecclesiastica reali, & personali, quæ est de jure Divino, uti docent Layman lib. 4. tract. 9. cap. 8. Azorius part. 1. lib. 5. cap. 12. quest. 1. Tamburinus de jure Abbat. tom. 1. disp. 15. quest. 19. Diana part. 1. tract. 2. resolut. 1. Barbosa l. 1. juris univers. Ecclesiast. cap. 39. §. 5. numer. 3. Cum communissima aliorum, ex capit. quamquam, de censibus, in 6. & patet ex Concilio Trident. mox citato: Non verò loquitur Concilium de immunitate locali. Si tamen quis contendat, Concilium Trident. loqui etiam de immunitate locali, seu de jure Aſyli, dicendum, Concilium plus non velle, quam quòd loquendo de jure Aſyli, id ad imitationem Legis Divinæ veteris, Divinoque instinctu per Canonicas Sanctiones fuerit constitutum. Ex quo inferitur, quòd contra immunitatem personalem nulla valeat consuetudo, aut præscriptio; bene verò contra jus Aſyli: quia contra jus humanum, non verò contra jus Divinum, ulla valet consuetudo, aut præscriptio, ut diximus cap. præced. sect. 3. qu. 5. num. 306.

§. II. Jus Aſyli competit Ecclesiis, Cæmeteriis, Monasteriis, Oratoriis, Hospitalibus,

85 ET universaliter omnibus, & singulis locis piis ad charitatis, misericordie, Religionis &c. aliumve pium utum destinatis, modò loca omnia prædicta auctoritate Episcopi erecta sint. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 3. Barbosa, Abbas, Fagnanus, Reiffenſtuel cit. nu. 47. & communis aliorum. Ratio est: Quia omnia prædicta Loca, si auctoritate Episcopi sint erecta, sunt verè loca Religiosa, ex c. ad huc 4. §. c. fin. de Religiosis domibus, & can. in qualibet 23. causa 23. quest. 8. §. l. sancimus, C. de SS. Ecclesiis: atqui cuncta loca religiosa gaudent jure Aſyli, ut clarè patet ex Bulla Gregorii XIV. Cum aliis data Romæ 1591. nono Calendæ Junii, ibi. Locisque sacris, aut religiosis. Accedit, quòd privilegia Ecclesiis concessa; etiam dictis locis concessa intelligantur, l. omnia C. de Episcop. & Cleric. Ergo. Ex his

85 Inferitur I. Quòd jure Aſyli gaudeant Ecclesiæ, etiam pollutæ, & interdictæ, imò etiam nondum consecratæ. ex cap. Ecclesia 9 de immunitate Eccles. Earumque Sacritatibus, Turres, Atria, Porticus, Campanilia &c. Barbosa lib. 2. J. E. V. cap. 3. num. 62. Layman cit. num. 2. Reiffenſtuel cit. num. 29. ex cap. id constituimus 36. causa 17. quest. 4. Item qui saltem Ecclesiæ januam, seram, vèctem, parietem, vel annulum valvorum Ecclesiæ tangit. Barbosa cit. num. 65. Layman cit. Reiffenſtuel cit. num. 30. Covarruvias, Pignatelli, afferens Decreta S. Congregationis, in tom. 6. consult. 4. num. 81. & seqq. idem multò magis dicendum de existente in recto Ecclesiæ. Item jure Aſyli gaudet spatium terræ per 40. passus Ecclesiæ majori, seu Cathedrali, & per 30. passus Ecclesiis minoribus, seu cappellis adjacens ex can. sicut antiquitus 6. causa 17. quest. 4. Privilegium tamen dicti spatii non se extendit ad domos extraneas laicales; infra dictos passus existentes, bene verò ad domos Clericorum, intra dictos passus existentes, ex can. quisquis 21. causa 17. quest. 4. II. Inferitur, quòd jure Aſyli gaudeant Cæmeteria, non tantùm Ecclesiis contigua, sed etiam separata. III. Oratoria etiam privata, & cappellæ. IV. Monasteria, eorumque claustra, cellæ, habitacula, hortus, area, domus familiarum, stabula animalium, officinæ, cunctaque alia loca, quæ intra septa Monasterii continentur. Ita Reiffenſtuel cit. num. 45. cum pluribus, quos citat. Ratio est: quia etiam hæc in favorabilibus veniunt nomine Monasteriorum, & loca religiosa sunt, quia religiosis adherent. Id multò magis dicendum de reidentibus, & domibus religiosorum. V. Hospitalia, Nosocomia &c. VI. competit jus Aſyli reis confugiens ad SS. Eucharistiam, dum portatur ad ægorum, aut in processione circumferitur, modò tangant vestem Sacerdotis SS. Eucharistiam portantis, vel se affocient processioni, aut illis, qui Venerabile Sacramentum comitantur. Ita pluribus citatis Reiffenſtuel cit. numer. 49. Excipitur casus, quo Sanctissimum portatur ad reum in carcere detentum. Ita omnes. VII. competit jus Aſyli palatio, seu domui Episcopi, & Cardinalium, etsi hi non sint Episcopi. Reiffenſtuel cit. numer. 51. & seqq. quem lege. VIII. Probabilius esse judicat idem Reiffenſtuel cit. num. 46. Domos, villas, & hospitalia à Monasteriis separata, & quæ solius recreationis, vel economiæ causa, aut pro recipiendis hospitibus habentur, non gaudere jure Aſyli: tum quia non sunt Au-

thoritate Episcopi erecta; tum quia religiosis; locis non adherent.

§. III. Jus Aſyli competit omnibus laicis &c.

87 Omnibus laicis (nisi commiserint crimen exceptum, de quo §. seq.) competere jus Aſyli, certum est ex Bulla Gregorii XIV. cum aliis, citata: quia hæc de Laicis generaliter, & indistinctè loquitur. Imò etsi laici essent personaliter interdicti, aut excommunicati, etiam denunciati, & publici Clericorum percussores. Layman lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 10. Covarruvias, Pirrhing, Sylvester, Reiffenſtuel cit. n. 53. cum communi. Ratio est: quia nullius censura effectus est, private malefactores Aſylo. Clericos seculares contra Judices, & superiores Ecclesiasticos (nam contra Judices laicos gaudere Aſylo, certum est ex privilegio fori Clerici competentis) gaudere, & non gaudere Aſylo, utrumque videtur probabile, cum pro utraque parte sentiant plures, & graves Doctores, sicut & rationes, quas vide apud Reiffenſtuel cit. n. 57. & seqq. Religiosis verò non competit jus Aſyli contra superiores proprios, de facto patet ex universali praxi, & consuetudine apud omnes religiones notè recepta, & summis Pontificibus specialibus Bullis confirmata, ac propriis Ordinum statutis, à S. Sede approbata stabilita graviter puniendi, etiam carcere perpetuo, ac trirèmbus, vel expulsiōe ab ordine &c. Religiosos, five in, five extra Monasterium delinquent: five cum, five absque animo fruendi Aſylo in Monasterio, aut alio loco religioso sint. Quantum ad Judæos, Paganos, accæteros infideles, qui in Christum non credunt, etiam si ad veram fidem se convertere nolint, eos gaudere Aſylo, putat esse probabile Reiffenſtuel cit. num. 77. hancque sententiam tenent apud ipsum Fagnanus, Sylvester, Barbosa, & plures alii citati à Fagnano, in c. inter alia 6. de immunitate Ecclesiasticarum n. 60. Ratio est: quia jura concedentia laicis confugiens ad Ecclesiis jus Aſyli, universaliter, & indistinctè loquuntur de omnibus; & vel maxime, quia ita declaravit S. Congregatio 1631. teste Barbosa lib. 2. J. E. V. apud Reiffenſtuel cit. Imò etiam Hæreticos ob prædictam rationem, gaudere Aſylo: si non propter crimen Hæresis, sed ob aliud delictum fugiant ad Ecclesiam, aut alium Religiosum locum, docent Sylvester, Vers. immunitas 3. q. 3. Haunoldus de jure, & just. to 6. cr. 1. nu. 161. Sannig, Pirrhing, Zoësius, & alii. Dictum est: si non propter crimen hæresis fugiant ad Ecclesiam; ob hoc enim, si ad Ecclesiam confugiunt, certum est eos non gaudere Aſylo, ut patebit mox §. seq.

§. IV. Dummodò prædictæ persone non commiserint Delictum in Bulla Gregorii XIV. exceptum.

88 Gregorius XIV. edidit anno Domini 1591. Bullam: cum aliis, quæ in Bullario Cherubini est ordine 7. Constitutio dicti Pontificis, in qua excipit aliqua crimina, quæ committentes non gaudent jure Aſyli, sequentibus verbis decernit: Ut laicis, ad Ecclesiis, locaque sacra, & religiosa prædicta confugiens, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, publicasque vias obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis, aut lesæ Majestatis in personam ipsius Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed universis, & singulis venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiasticis, & Monasteriorum Prælatibus, tam secularibus, quam cujusvis ordinis regularibus, secularibus, cujusvis ordinis regularibus, distriktè precipiendo mandamus, & precipimus, ut laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesiis, Monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu religiosa, respiciendè confugiens, & in eis recipientes, atque morantes, qui prædicta, eorumque aliquod judicio suo commisisse videntur, quando à curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, ministris, & officialibus curiæ secularis, absque irregularitatis nota, aut alicujus censure Ecclesiasticæ incursum iradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat. Hucusque Bulla Gregoriana. Ex qua sequitur, quòd omnia, & singula crimina, quæ in ea non sunt specialiter excepta, gaudeant Aſylo. Hinc

I. Gaudent Aſylo fures, qui occultè, vel etiam aliis 89 videntibus, sine tamen vi, vel armis aliena auferunt: vel qui in Ecclesiis furantur, vel qui in Ecclesiis vulnerant alios

alios, sine homicidio, vel mutilatione. II. Gaudent Aſylo, adulteri, simoniaci, incendiarii, banniti, cudentes falsam monetam, homicidæ Clericorum, raptore virginum, extrahentes injustè reum ex Ecclesia, Parricidæ, Sodomitæ, &c. III. Gaudent Aſylo Decoctores fraudulenti, item debitores confugiens ad Ecclesiam ob debitum ex causa civili contractum juxta Haunoldum, & Pirrhing. Ratio horum omnium est: Quia omnes præfati non commiserunt crimen exceptum in novissima Bulla Gregorii XIV. cit. IV. Gaudent Aſylo rei è carceribus, aut manibus facellitum fugientes, dum ducuntur ad carceres, vel inde ad supplicium, dummodò non commiserint crimen exceptum. Ita cum communi Farinacius, Navarius, Gutierrez, apud Reiffenſtuel cit. n. 154. Ratio est: quia tales non excipiuntur in Bulla Gregoriana cit. quòd verum est, etiam si fugiant cum compediibus: non verò si unà cum satellite per vim intrent in Ecclesiam, ex declarationibus Cardinalium apud Jacobum Pignatelli, tom. 6. consult. 4. nu. 88. & 91. Pariter non gaudet immunitate reus ex eo, quòd per locum Sacrum ducatur ad supplicium, casu quo alia via è carceribus ad locum supplicii non sit; secus, si alia existente via per illum duceretur. Ita Peregrinus de immunit. cap. 5. nu. 8. Diana, & alii. V. Noster Gaudentius Kerckhove in statuta nostra Generalia c. 5. §. 8. num. 54. docet, licere malefactori ingredi Monasterium Monialium, si fores apertas reperiat, ut periculum insequentis Judicis evadat, meritò timens fore, ut ex Ecclesia extrahatur. Ratio est: quia jus tuendi vitam, aut vitandi grave corporis damnum, censetur licitum reddere talem ingressum. Ita in terminis Sanchez, Bonacina, Tamburinus, alique ab eo citati. Qui malefactor tamen non possit commorari in Monasterio Monialium, quia deceat virum cum Monialibus esse; sed deberet reponi in alio loco tuto, ubi etiam Privilegio immunitatis gaudere possit, ut notat Pellizarius nu. 134. apud Kerckhove cit. num. 53.

QUÆSTIO III.

De effectu immunitatis Aſyli, & de Custodia, & extrahitione confugiens ad locum sacrum.

SUMMARIUM.

- 91 Effectus immunitatis Aſyli est, quòd reus confugiens ad locum sacrum, debeat in eo recipi.
- 92 Multò minus ab eo per vim extrahi,
- 93 Nec ad mortem, aut penam corporalem condemnari potest.
- 94 Si verò commisit crimen exceptum, tenetur rector Ecclesiæ, aut alterius loci sacri, si à curia seculari fuerit requisitus, reum custodire;
- 95 Et eundem eidem extrahere, modo à Bulla Gregoriana præscripto.
- 96 Si tamen, ut jam dictum, desuper requiratur à curia seculari.

ASSERTIO III.

90 Effectus immunitatis Aſyli est, quòd reus confugiens ad locum sacrum debeat recipi, nec inde possit excludi, multò minus ab eo per vim extrahi; nec quamdiu in eo existit, ad mortem, aut aliam penam corporalem condemnari potest, supposito, quòd non commiserit crimen exceptum; si verò commisit crimen exceptum, tenetur rector Ecclesiæ, aut alterius loci sacri, si à curia seculari fuerit requisitus, reum custodire, ac eidem extrahere eundem modo à Bulla Gregoriana præscripto. Communissima.

§. I. Effectus immunitatis Aſyli est, quòd reus confugiens ad locum sacrum debeat recipi, &c.

91 Ita Haunoldus tom. 6. tract. 1. num. 274. Pignatelli tom. 2. consult. 4. num. 63. Delbene de immunit. cap. 16. dub. 48. num. 1. Reiffenſtuel tit. de immunit. Eccles. num. 156. & alii. Ratio est I. Quia cap. inter alia 6. de immunit. Ecclesiæ dicitur: Rectores Ecclesiarum sibi (id est, reis) obtinere debent membra, & vitam. II. Quia Rectores Ecclesiarum tenentur jura Ecclesiæ, ipsiſque immunitatem defendere: ergo hoc ipso non possunt reos illuc confugiens repellere. III. Quia eo ipso, quòd concedatur reus jus ad Ecclesiis confugiendi, imponitur Rectoribus Ecclesiæ obligatio eos recipiendi; aliàs enim, si rei pro libitu rectorum possent non recipi, aut etiam recepti iterum expelli, parum, aut nihil prodesset reis Jus Aſyli. Quare

etiam Ecclesia, aut alius locus sacer reum de suis bonis debet sustentare; eique vitæ præbere necessaria, nisi ipse bona propria habeat, aut aliunde à Consanguineis v.g. facile habere possit. Ita cum communi Sylvester vers. immunitas 3. nu. 5. Aliisque citatis Reiffenſtuel cit. nu. 157. Ratio est: quia aliàs reus indirectè cogetur ad exennum; & postestati seculari se tradendum, aut fame moriendum; sicque rursus eidem non prodesset Jus Aſyli. Dicitur est: Nisi ipsemet bona propria haberet, aut aliunde à consanguineis v.g. facile habere possit. In tali enim casu de illis, non de Ecclesiæ bonis vivere deberet reus, prout citari DD. cum communi aliorum bene advertunt. Imò non potest Ecclesia in tali casu eum de bonis suis sustentare, quia malè dilapidaret patrimonium Christi, & pauperum. Hinc etiam juxta DD. citatos, in casu, quo ipse reus nihil habet, nec aliunde quid habere valet, potest cogi ad laborandum, & serviendum in commodum Ecclesiæ; ut sic expensæ in eum factæ de Ecclesiæ bonis, quæ non nisi ad causas pias, & pauperes erogari possunt, compensentur; atque ne immunitas sit ei occasio oriandi, & exinde etiam peccandi. Addunt aliqui, & meritò, non expedire, ut rei propriis destituti mediis diutius morentur in locis sacris, ne ipsi per incommodum Ecclesiæ, egentium, & pauperum alantur expensis, ut dicitur l. præfati 6. C. de his, qui ad Eccles. confug. Hinc bene possunt rectores Ecclesiæ reo suadere, ut discedat; si cognoscant, quòd in alio loco, aut provincia, securè, & absque periculo degere valeat, illucque eundem convenientibus modis ducere, & dirigere sine periculo possint, & nisi aliud circumstantiæ exigant. Ex his etiam sequitur, quòd nemo prohibere, aut impedire possit, quominus ad existentem in loco Aſyli defertur necessarius victus, & vestitus, ipseque necessaria requie frui, & naturam etiam extra locum Aſyli (si reverentia loci exigat) exonerare valeat. Ita omnes ob rationem supra jam datam.

§. II. Multò minus ab eo per vim extrahi, nec ad mortem, aut penam corporalem condemnari potest.

92 Ita unanimes DD. Ex can. Diffinivit 35. causa 17. qu. 4. 92 ibi: Nullus audeat confugiens ad Ecclesiam, & residens inde abstrahere, & l. 2. de his, qui ad Eccles. confug. ibi: Sancimus, nemini licere ad Ecclesiis confugiens abducere. Potest tamen reus spontè exire, & permittere, ut egressus capiatur. Si tamen ad spontè egrediendum iudex ficta promissione securitatis, & impunitatis reum induxit, tenetur eidem servare fidem promissam, vel iterum restituere loco Sacro, Barbosa lib. 2. juris Ecclesiast. univers. c. 3. n. 54. Navarrus in Manual. c. 25. n. 22. Castro-Palao, Azorius, Reiffenſtuel cit. nu. 162. cum communi aliorum. Ratio est: quia cum reus non nisi sub conditione securitatis promissæ deseruerit locum Aſyli, debet conditio à promittente servari, aut desertio loci Sacri censetur nulla; cum paria sint, nihil fieri, & sub conditione fieri, quæ non purificatur.

93 Quòd reus, quamdiu in loco Sacro existit, non possit per sententiam aliquam condemnari ad mortem, aut aliam penam corporalem, docent Pirrhing, Sylvester, Abbas, Fagnanus, apud Reiffenſtuel cit. n. 166. ex cap. inter alia 6. de immunitate Ecclesiasticarum, &c. Id constituimus observandum, quod Ecclesiastici Canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesia atriis, vel domo Episcopi, reos abstrahere omninò non liceat, sed nec alteri consignare, nisi ad Evangelia datis Sacramentis, de morte, & debilitate, & omni penarum genere sint securi; ita ut ei, cui reus fuerit criminofus, de satisfactione conveniat. Quòd si quis Sacramenta sua convicius fuerit violasse, reus perjurii non solim à communione Ecclesiæ, vel omnium Clericorum, verùm etiam, & à Catholicorum convivio separaretur. Nihilominus reus quamdiu existit in loco Sacro, licet ad penam mortis, vel corporis condemnari non valeat, potest tamen puniri pena pecuniaria, aut alia competenti pœna, Ita Abbas, Fagnanus, Barbosa, Farinacius, Pirrhing, cum communissima aliorum apud Reiffenſtuel cit. n. 168. ex cap. inter alia 6. de immunit. Eccles. ibi: Super hoc tamen, quòd iniquè gessit, est aliàs legitime puniendus.

§. III. Si verò commisit crimen Exceptum, tenetur rector Ecclesiæ, aut alterius loci sacri, si à Curia seculari fuerit requisitus, reum custodire.

94 Omnia præcedentia dicta, sunt intelligenda de reo, qui non commisit crimen exceptum, & consequenter gaudet jure Aſyli: Si verò reus commisit crimen exceptum, & consequenter non gaudet Aſylo, vel saltem dubitatur, ac commiserit crimen exceptum, & gaudeat Aſylo,



Afyo, nec ne, bene facit rector loci Sacri, si reum de dubio, & periculo admoneat, eique fugam suadeat, & ad eam adjuvet, antequam a Curia Seculari ad eum bene custodiendum, aut tradendum requiratur; tunc enim fugae locus non amplius esset, sed tunc tenetur Rector Ecclesiae, aut alterius loci sacri, caute custodire reum, adhibitis etiam, si opus foret, carceribus, & compedibus, donec ab Episcopo causa examinetur, & decidatur; si nimirum a Potestate Seculari ad hoc fuerit requisitus. Ita pluribus citatis Farinacius, & Reiffenstuel cit. n. 174. Ratio est: quia reus criminis excepti debet tradi Curiae Seculari, juxta dicenda §. sequenti: ergo in casu dubio, & multo magis in certo, saltem interim custodiri debet etiam auxilio Secularium, si opus foret, ad requisitionem Curiae Secularis, ut causa per Episcopum examinata tradi, si fieri oporteat, possit. Dicitur est: Si commisit crimen exceptum; in casu enim, quo liquido constat, crimen non esse exceptum ipsumque reum gaudere Afylo, nec rector Ecclesiae, nec Secularis Potestas intra Ecclesiam, vel alium locum sacrum, aliquo modo carcerare, vel custodire reum potest, aut tenetur. Ita ferme omnes, & ratio est: quia in tali casu cessat custodiendi ratio, & finis, qui est, ut Jure Afyli carens, legitime tradi valeat Curiae Seculari, & ab ea puniri, ne delicta maneant impunita. Nihilominus extra Ecclesiam potest Curia Secularis custodiam ponere ad praecavendum, ne liberè effugiat Reus, & ut, si exeat, extra facilius capi, & puniri valeat. Ita Bonacina t. 2. dif. 3. q. 7. pun. 3. n. 2. aliique citatis Reiffenstuel cit. n. 183. Ratio est: quia per talem custodiam nulla vis, aut injuria inferatur loco Sacro.

§. IV. Ac reum extrahere Curiae Seculari, modo à Bulla Gregoriana Praescripto.

95 Modus extrahendi reum non gaudentem Afylo, Curiae Seculari, praescribitur in Bulla Gregorii XIV. cum aliis, citata, sequentibus verbis: §. 3. Sed universis, & singulis venerabilibus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Praelatis, tam secularibus, quam cujusvis ordinis regularibus, districtè precipiendo mandamus, & praecipimus, ut Laicos in casibus praedictis (nimirum in criminibus exceptis) delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia loca supradicta sacra, seu religiosa, respectivè fugientes, & eis se recipientes, atque morantes, qui praedicta delicta, eorumque aliquod, iudicio suo commississe videbuntur, quando à Curia Seculari fuerint requisiti, vel quilibet eorum fuerit requisitus, ministris, & officialibus Curiae Secularis, &que irregularitatis nota, aut aliquis censura Ecclesiastica incursus, tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.

§. 4. Ne autem Curiae Secularis Ministri praedicta facultate, illos per se, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi, sibi olim, ut praesertur, attributa, & per praesentes revocata abutantur, volumus, disjuncte auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia Secularis, ejusque iudices, & officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris praedictis laicum aliquem, ut praesertur delinquentem; in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis, & cum interventu personae Ecclesiasticae, ab eo auctoritatem habentis (ad quos solos, & non alios Episcopos inferiores, etiam si aliis ordinariis, aut nullius Dioecesis, aut conservatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati, praedictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu loco exempto, & nullius Dioecesis, tunc ad Episcopum viciniorum devolvatur haec cognitio, & non ad alios) capere, extrahere, aut incarcerare non possint; nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & diste personae Ecclesiasticae requisita, illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere, aut captare, & carcerationi intervenire, & assistere recusarint, tuncque reverentiae Ecclesiae, & locis sacris debita memores, praedictos delinquentes, minori, qua id fieri poterit, scandalo, & tumultu extrahere curent.

§. 5. Quodque delinquentes laici praedicti, postquam, ut praesertur, ab Ecclesiis, locisque extrahi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per Curiam Secularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiaeque Seculari praedictae consignari, nec tradi possint, nisi cognitio prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, aut ipsi verè crimina superius expressa commiserint, tuncque demum de mandato Episcopi, per Iudicem Ecclesiasticum Curiae Seculari, quacunque appellatione seposita consignentur.

§. 6. De crimine verò heresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea, Curia Seculari se quoquo modo intromittat. Hinc usque Bulla Gregorii XIV. citata.

Dicitur fuit haec tenens sapienter: Si rectores Ecclesiarum, vel locorum religiosorum fuerint requisiti à Curia Seculari, quia tantum, quando à Curia Seculari fuerint requisiti, vult Papa, ut custodiant, vel tradant, reum criminis excepti: consequenter à sensu contrario: Si non requisiti fuerint à Curia Seculari, nec custodire, nec extrahere tenentur talem reum, sed possunt eum libere dimittere, & ad fugam juvare: & multo minus tenentur custodire, aut extrahere reum, qui commisit crimen non exceptum, & consequenter gaudet Afylo, etiam si à Curia Seculari fuerint requisiti: quia sine peccato mortali Rectores Ecclesiae non possunt reum talem privare suo Jure, & privilegio sibi concessio à Summo Ecclesiae Monarcha; nec Curia Secularis potest talem reum requirere, vel extrahere sub gravissimis poenis, ut statim dicitur. Ait tamen Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 13. Ecclesiae tamen Praelatus reum quandoque, Iudici Seculari tradere potest, exacto prius juramento, vel simili cautione immunitatis à poena mortis, & omni corporali, sicuti colligitur can. id constitutum, 36. causa 17. quæst. 4. (quem in terminis retulimus, supra num. 93.) apud Layman citatum.

QUESTIO IV.

De Penis violantium immunitatem Ecclesiasticam, & de absolutioe ab isdem.

SUMMARIUM.

- 98 Extrahens ex Afylo reum vi, vel fraude, vel injusto timore, vel contra praescriptum Bullae Gregorianae, peccat mortali sacrilegio, & tenetur reum sic extractum restituere loco sacro,
99 Atque incurrit ipso facto excommunicationem Papae reservatam.
100 Violans verò immunitatem realem, vel personalem incurrit gravissimum sacrilegii peccatum, & tenetur restituere omnia, quae ab Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, aut bonis earum exegit;
101 Et incurrit ipso facto excommunicationem in Bulla Cæne Domini contentam.

ASSERTIO IV.

97 Extrahens ex Afylo reum, vi, vel fraude, vel injusto timore, vel contra praescriptum Bullae Gregorianae, imprimis peccat mortali sacrilegio, & tenetur reum sic extractum restituere loco sacro, cum omnibus bonis inde abstractis, obligaturque ad restitutionem damni exinde consecuti ipsi reo, vel aliis, atque incurrit ipso facto excommunicationem Summi Pontifici reservatam, aliasque poenas: Violans verò immunitatem realem, & personalem, praeter gravissimum sacrilegii peccatum, tenetur restituere omnia, quae ab Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, aut bonis earum exegit, & incurrit ipso jure, & facto gravissimam poenam excommunicationis in Bulla Cæne Domini contentam, à qua nullus omnino potest. Est communissima.

§. I. Extrahens ex Afylo reum, vi, vel fraude,

Vel injusto timore, vel contra praescriptum Bullae Gregorianae, imprimis peccat mortali sacrilegio, uti constat ex can. Sacrilegium, causa 17. q. 4. & docet S. Thomas communiter receptus 2. 2. q. 99. art. 2. ad 2. Quia in re gravissima violat reverentiam Ecclesiis, & Sacris locis debitam. Et tenetur reum sic extractum restituere loco sacro, una cum omnibus bonis inde abstractis. Barbosa lib. 2. J. E. V. c. 3. n. 52. Pirthing. de immunitate Eccles. n. 51. Pignatelli, Farinacius, Fagnanus, aliique citatis Reiffenstuel cit. n. 203. cum communi, & certa aliorum. Ratio defumitur tum ex can. Miror. 8. causa 17. q. 4. ibi: Ecclesiae igitur restituit, quae irregularissimus rapuit: tum ex illa universalis regula, quod spoliatas ante omnia sit restituendus, ex c. Item 6. §. c. conquirente 7. de Restitutione Spoliatorum. Obligaturque ad restitutionem damni exinde consecuti ipsi reo, vel aliis. Ita communis, ac certa ex can. sicut antiquitus 6. causa 17. q. 4. ibi: qui personam, vel bona ejus inde (è loco Afyli) subtraxerit, quousque emendet, & quod rapuerit, reddat, excommunicetur. Ratio est: quia, qui injustè auferit, vel damnificat, ad restitutionem tenetur. Hinc inferitur, quod si injustè extrahatur etiam capite plexus est, teneatur juxta ad damnum, quod inde liberis, uxori, aut aliis subsecutum est. Ita Reiffenstuel cit. num. 110. Layman lib. 4. tract. 9. c. 3. num. 14. & apud ipsum Suarez, & Valentiam.

§. II.

§. II. Atque incurrit ipso facto Excommunicationem Papae reservatam.

99 Ita Bulla Gregorii XIV. cum aliis, citata, §. 8. Sic dicens: quod si quis quacunque dignitate, & auctoritate praeditus, Praemissorum, aut alio quovis praetextu, quidquam praeter, aut contra hujus nostrae constitutionis tenorem attentare praesumpserit, declaramus, cum ipso facto Censuras, & poenas easdem incurrere, quae contra libertatis, Juris, aut immunitatis Ecclesiasticae violatores, per Sacros Canones, & Conciliorum Generalium, nostrorumque Praedecessorum constitutiones sunt promulgatae. Idem docent Bonacina tom. 1. disp. 3. q. 7. pun. 8. n. 3. Farinacius, Castro-Palau, Barbosa, Diana, Haunoldus, apud Reiffenstuel cit. n. 215. cum communi aliorum, post Bullam Gregorianam scribentium, contra nonnullos ante Bullam cit. scribentes, & propterea ad praesens non attendendos. Hanc excommunicationem incurrit, non tantum illi, qui aliquem etiam excepti criminis certò reum, in loco Afyli existentem, capere, extrahere, vel incarcerare ausi fuerint, juxta certam sententiam; sed etiam illi, qui capere, extrahere, aut incarcerare tantum tentaverint, effectum non secuto. Ita Diana p. 1. tract. 1. resolut. 15. Farinacius, Peregrinus, apud Reiffenstuel cit. num. 217. quod aperte patet ex Bulla Gregoriana cit. §. 8. ubi Papa poenas Juris ipso facto incurrere declarat eum, qui contra tenorem hujus constitutionis quidquam attentare praesumpserit. Hinc etiam alias Leges poenales intelligendae sint secuto effectu; sed tamen est, si Lex etiam ipsum conatum expressè punire vult. Imò non tantum praedicti, sed etiam, & vel maxime illi, qui tale quid mandant, excommunicationem praedictam ipso facto incurrun. Ratio est: quia in Bulla Gregoriana poenis ipso facto subjacere, universaliter declarantur omnes, & singuli quavis dignitate praediti, qui contra tenorem constitutionis, seu Bullae aliquid attentare praesumpserint; hoc autem, vel maxime faciunt, qui praefata auctoritative mandant. Haec excommunicatio est Summo Pontifici reservata, ob declarationem Sacri Concilii, 1617. apud Jacobum Pignatelli. tom. 2. consult. 59. quae ita sonat: absolutio à Censuris ob violatam immunitatem Ecclesiasticam, juxta constitutionem Gregorii XIV. quae incipit: Cum aliis nonnulli, est Sedi Apostolicae reservata. Nihilominus ab eadem (sed prius restituro Reo, & facta satisfactioe laeae Ecclesiae) absolvi posse Regulares Mendicantes extra Italiam, docet Passerinus, de hominum statibus, & officiis, quæst. 187. art. 1. nu. 443. Ubi ait, Regulares Mendicantes extra Italiam posse absolvi à violatione Immunitatis Ecclesiasticae: in terminis constitutionis felicis recordationis Gregorii XIV. quae incipit: Cum aliis nonnulli. Probatque ex Decreto Sacrae Congregationis, sub Urbano VIII. edito, 1628. 17. Novembris, citatque pro hac sententia Lezaniam, Antonium à Spiritu S. Dianam, Naldum, Bordonum, Sanchez, Merolam, Delbene, Peregrinum, Barbosa, Tamburinum. Cujus ratio est: quia Regulares Mendicantes extra Italiam possunt absolvi seculares, ab omnibus casibus, & Censuris, etiam Papae reservatis, exceptis casibus Bullae Cænae, & casibus ab Episcopis sibi reservatis, uti habet Patritius Sporer. Theol. Sacrament. part. 3. cap. 6. sect. 2. nu. 740. & exceptis iis, qui ad forum contentiosum sunt deducti: jam autem haec excommunicatio non continetur in Bulla Cænae Domini, ut legenti eam patebit: nec, ut supponitur, est casus ab Episcopo sibi reservatus, aut jam ad forum contentiosum deductus: ergo ab ea virtute suorum privilegiorum Regulares Mendicantes extra Italiam absolvi poterunt.

§. III. Violans verò immunitatem realem, vel personalem,

900 Praeter gravissimum Sacrilegii peccatum, quod incurrit, tenetur restituere omnia, quae ab Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, aut bonis earum exegit. Ita omnes. Ratio est: quia injustè acquiritur: quidquid autem injustè acquiritur, restitui debet: hinc donec restituat, & satisfaciatur, absolvi non potest. Violatores autem Immunitatis Realis, & Personalis sunt, qui quacunque exactiones, aut onus quodcumque tandem, & quomodocunque nominetur (exceptis oneribus verè simpliciter, & formaliter realibus, de quibus supra hac sect. qu. 1. num. 79.) Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, aut bonis earum imponunt, seu exigunt ab eis. Ita Bulla Cænae Domini. §. 18. Item Laici, qui personas causasque Ecclesiasticas ad suum tribunal trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, direbunt, & vel indirebunt, quovis quæstio colore. Ita Bulla Cænae §. 14. 15. Plura vide in Bulla Cænae Domini, & in Bulla Suppl. Theol. Decal.

Urbani VIII. Romanus Pontifex, quae in Bullario Cherubini, tom. 4. §. 159. constitutio dicitur Pontificis.

§. IV. Et incurrit ipso facto excommunicationem in Bulla Cænae Domini contentam.

101 Ita omnes. Et patet clarissime ex ipsa Bulla Cænae Domini citata, sicut etiam ex Bulla Urbani VIII. mox citata, & ex aliis textibus Juris Canonici. Hanc igitur excommunicationem incurrit omnes violatores immunitatis Ecclesiasticae realis, & personalis, §. praecedente specificati; & cum haec excommunicatio sit contenta in Bulla Cænae Domini, nullus ab ea extra articulum mortis absolvi potest, nisi Romanus Pontifex, & qui ab eo specialem habet facultatem absolviendi à casibus Bullae Cænae; consequenter nullus Regularis etiam Mendicans; virtute privilegiorum suorum ab ea absolvi potest. Ita habetur expressè in Bulla Cænae §. 23. imò etiam in articulo mortis nullus absolvi potest, nisi violatores prius cautionem praestent, quod satisfacere, & mandatis Ecclesiae stare velint, & similia ultimus non facere seridè propofuerint. Ita clarè statuitur in citata Bulla Cænae §. 22. imò omnis absolutio per alium, quam Romanum Pontificem, extra mortis articulum, vel etiam in illo, sed non juxta tenorem praefatam facta, non tantum est nulla, sed est etiam graviter peccaminosa, ac insuper absolventem excommunicationi subicit. Ita iterum expressè Bulla Cænae, §. 23.

Alias poenas contra violatores immunitatis Ecclesiasticae, videre poteris apud Auctores citatos. Sed pro aliquibus Principibus oboerum privilegia in omnibus praefatis materiis vide Clericatum alibi citatum.

SECTIO III.

De Statu Religioso.

QUESTIO I.

De status religiosi essentia, diversitate, novitiatu, & professione.

SUMMARIUM.

- 102 Quotupliciter accipitur nomen Religionis?
103 Quid sit religio, seu status Religiosus?
104 Quot conditiones requirantur ad Religiosum?
105 Religiones in essentialibus conveniunt, & in accidentalibus differunt.
106 A quo institutus sit status Religiosus?
107 Religiosum Diversitas.
108 Religio dividitur in Contemplativam, Activam, & mixtam;
109 In Clericalem, Monachalem, Mendicantem, & Militarem.
110 Quatuor sunt regule religionum.
111 De regula S. P. N. Francisci Seraphici.
112 Novitius religionis debet habere certas qualitates: nimirum
113 Aetatem debitam, scilicet pubertatis;
114 Ut non sit alteri obligatus,
115 Ut Corpore non sit vitatus,
116 Ut non sit criminofus, aut infamis.
117 Quenam adhuc sint observanda circa novitios?
118 Novitius sine justa causa nequit expelli ab ordine.
119 Usque ad num. 122. Novitii gaudent privilegiis religionis etc.
122 Quid novitio egredienti debeat restituere?
123 Ad quid obligentur novitii?
124 An possit facere testamentum etc.
125 Quid de novitiis monialibus.
126 An novitii incurrant casus reservatos ordinis?
127 Quid sit professio religiosa?
128 Ad valorem professionis requiritur aptitudo vocentis.
129 & 130 Annus probationis integer;
131 Plena deliberatio religionis.
132 Et acceptatio religionis.
133 An invalide professus reclamare, & religionem deserere possit? & seq.
139 An religio possit expellere nulliter professum?

ASSERTIO I.

Religio, seu status religiosus est fidelium ad divina Charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae paupertatis, castitatis, & obedientiae, stabilit in communi vivendi